Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1733
Quelle:
Copyright:

DCCXXIII.

R. 3290 Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 254. f. per duas columnas bene ſcriptus et rubricis diſtinctus praemiſſo Capitum et Rerum Elencho continet Opus *de Officio Sacerdotis* diviſum in III. Libros, quorum I. agit *de Fide, Caritate, Juſtitia et Temperantia*, II. *de Vitiis contrariis praedictis virtutibus*, III. *de ſeptem Sacramentis eccleſiaſticis*, ut ait in Prologo Autor ipſe *F. Albertus de Brixia* O. P. ubi addit, ſe omnia compilaſſe *ex libris et queſtionibus et tractatibus F. Thomae de Aquino.* Libri porro in Tractatus, et hi abeunt in Capita. Compilationem hanc Aſceticam typis nunquam vulgatam fuiſſe puto. Vixit Autor nomine gentili *Mandugaſinus* initio Sec. XIV. aguntque de eo Ordinis Bibliothecarii T. I. p. 526. Prologus ejus infit: *Quoniam, ut ait Jeronimus ſacerdotis officium eſt reſpondere de lege* &c. et infra: *In hoc autem libro, qui de officio ſacerdotis appellatur* &c. Non igitur *Summam Caſuum Conſcientiae* dictum voluit Autor, qua adpellatione inducti quidam, ut e *Poſſevino Fabricius*, Opera duo ex uno commenti ſunt. Ad calcem nos legimus: *Iſtud opuſculum comparauit Fr. Johannes Trenbeckch profeſſus Monaſterij in Mäunſee* (Lunaelacenſis) *nec non Plebanus ibidem Domino Jacobo venerabili Abbate Mon. antedicti. Sub Anno Domini M°. CCCC^mo. XI^mo. in Vigilia Sancte Brigide virginis.* Hic *Johannes* a. 1416. ſucceſſit *Jacobo*, ut habes in *Chronico Lunaelac.* p. 197.

Fol. 249. p. 2. *Nota quod infraſcripte ſunt peregrinaciones tocius terre ſancte que a modernis peregrinis pronunc viſitantur.* Videlicet *a Japha usque Jeruſalem. Ciuitatis ſancte Jeruſalem. Intra Ciuitatem extra templum. Vallis Joſaphat. Montis Oliueti. Vallis Syloe. Montis Syon. Bethlehem. Bethanie. Fluminis Jordanis. Montana Judee. Vallis Judee. Nazareth.* Urbium aliarum. *Loca que communiter non viſitantur. Montis Synay. Egipti.* Ubique indicantur Memorabilia, et loca, quibus plena noxarum venia adfixa eſſet, cruce notantur.

Fol. ult. p. 2. adſcripta eſt Bulla *Leonis* VIII. data *Eremo B. V. M.* in *Helvetia*, vulgo *Einſiedel* Ord. S. Bened. quae incipit: *Convenit apoſtolico moderamini* &c. et legitur in *Cph. Hartmanni Annalib. Heremi Deiparae* &c. *Frib. Brisg.* 1612. p. 71. f Noli vero notis chronicis Codicis noſtri fidere, cui *Leo* eſt Papa 36. pro 136. Bulla data eſt anno 469. pro 964. et ſola Indictio 7. ſincera.

DCCXXIV.

Codex chartaceus lat. germ. R. 2150 Sec. XV. et ſeqq. 4. Scripta varia temere compilata continet, quorum haec ratio: I. *Regula Sacerdotum.* Init: *Multi ſunt ſacerdotes religioſorum regulas deridentes nec ſe regulam habere putantes*